



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

29 Sponsalia pluribus modis solvuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

sponsaliorum juratorum de futuro promittens, ad solemnizandum matrimonium, sicut ante concilium cogi poterat, ut in cap. ex litteris. 2. de sponsal. & Matrim. & in decis. super d. cap. 1. sub tit. Venet. & Brixien. sess. 24. quia sponsalia per verba de futuro sunt relicta à sacro concilio in illis terminis juris communis, in quibus erant ante concilium, ut ibidem in decis. sub tit. Burgen. ita quod licet aliqui teneant, quod, quamvis sponsalia non sint jurata, adhuc promittens cogi possit ad observandam promissionem, ut per Abb. in d. cap. ex litteris. n. 3. & Surd. consil. 364. n. 8. 9. & 10. lib. 3. communis tamen opinio est, quod, cessante juramento, non sit locus coactioni, à qua ecclesia debet abstinere, ut post D. Thom. tenet Sylvester. in summ. in verb. sponsalia. q. 4. & est text. in cap. ex litteris de sponsal. solemnizationi autem matrimonii debent præcedere tres denunciations, servata forma d. decreti. cap. 1. de reform. matr. sess. 24.

28 Qui verò † sponsalia contraxit per verba de futuro, etiam sine juramento, si postea cum alia similia sponsalia, sine, vel cum juramento contraxerit, in foro conscientie tenetur cum prima contrahere per verba de presenti, secus autem, si cum secunda, & non cum prima fuerit matrimonium per verba de presenti celebratum, quia tunc sponsalia præcedentia cum alia contracta solvuntur, cap. si cui, & cap. si inter. de sponsal. † solvuntur etiam sponsalia per verba de futuro, mutuo consensu contrahentium etiam si fuerint jurata, quia illud juramentum principaliter est practicum ad commodum hominis, & ab homine remitti potest.

cap. 2. & ibi gloss. fin. & Abb. n. 3. & n. 5. & Felyn. n. 16. de sponsalib. Fornicatione secuta sponsi, vel sponsæ sponsalia solvuntur, quia tunc non tenetur alter matrimonium contrahere, sed, si vult, erit absolvendus. gl. fin. in cap. sic quispe. 27. q. 2. c. quemadmodum, & ibi Abb. n. 4. de jurejur. idem Abb. in consil. 48. n. 1. vol. 1. quod procedit, etiam si sponsa per vim fuisset cognita, quia, nec tunc vir cogi posset ipsam in uxorem ducere, cap. raptor cum seq. 27. q. 2. glossa in d. cap. quemadmodum. in ver. oculos in fin. quia nemo est cogendus ad contrahendam bigamiam. Joan. Andr. in dicto cap. quemadmodum. & ibi Abb. n. 12. & Imol. de jurejur. semper enim subintelligitur conditio, quod promissio valeat, nisi sponsa fornicetur, ut cap. quemadmodum, extra de jurejur. Absentia sponsi, si per orbem vagetur, & nescitur in quo loco sit, quo casu de jure civili tenebatur sponsa expectare per triennium, ut in l. 2. C. de repud. & si erat in Provincia, per biennium l. 2. C. de spons. sed de jure canonico, quod est servandum, sponsa non tenetur expectare virum per orbem vagantem, sed potest cum alio matrimonium contrahere, & non expectare, cap. de illa, ibi, quod liberum erit mulieribus. & ibi Abb. nu. 2. Cardin. & Præpos. de sponsal. verbum enim † liberum, denotat, quod non requiratur aliqua licentia, nec expectare teneatur gl. ff. in elem. dudum. §. si verò videm, in verb. libere. de sepult. Abb. in cap. 1. n. 4. de off. ord. & Dec. in cap. que in ecclesiarum. num. 3. de constit. lapsu temporis in sponsaliorum contractu constituti ad matrimonium contrahendum sponsalia per verba de futuro dissolvuntur,